

quid dixerit audiamus: 'Si', inquit, 'in iusticias meas non ambulaverint et iudicia mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis'¹⁾. Tot ergo roborati superne pietatis testimoniis, consilium ad meliora revocemus, correptionemque omnipotentis merito illatam nobis lætabundis potius suscipiamus animis. Arbitror etiam ego, si Deus, intercedentibus orationibus vestris, longioris vite spatia mihi contulerit, aliorum citiusque, quam speratis, hæc omnia me restauraturum esse²⁾ ac in melius reformare, quin etiam sollicitius, quam hactenus feci, necessitudinibus vestris pro viribus operam dare'³⁾. 51. His finitis, aliquantulumque recreati, et tanquam in extasi admirantes sermocinationes piissimi patris, cohibemus infestos motus animi velamine simulate alacritatis. Quis enim, eius vocem audiens, obstinatus ad instar dure silicis non continuo in naturam resolveretur plumbi, a cuius prudenti ore fons mellite emanabat eloquentie.

Finita itaque refectione circa diruta et ambusta animos accingunt pro posse, ut iuxta illud Virgilianum: 'Instarent⁴⁾ ardentes;

pars ducere muros,
Molirique arcem et manibus subvolvere saxa,
Pars obtare locum tecto et concludere sulco.
Iura magistratusque legunt sanctumque senatum,
Hic portas alii effodiunt, hic alta domorum
Fundamenta locant alii, inmanesque columnas
Rupibus excidunt, templis decora alta futuris.
Qualis apes aestate nova per florea rura
Exercet sub sole labor, cum gentis adultos
Educunt fetus, aut cum liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a presepihus arcent,
Fervet opus, redolentque thymo flagrantia mella.

Ac⁵⁾ veluti ingentem formice farris acervum
Cum populant, hiemis memores, tectoque reponunt,
Et nigrum campis agmen predamque per herbas
Convectant calle angusto, pars grandia trudunt
Obnix frumenta humeris, pars agmina cogunt
Castigantque moras, opere omnis semita fervet'.

52. Nec multo post, quasi triginta dierum exacto curriculo, iam reaedificato interioris claustris tecto, tabernaculum deponimus, sacrosanctum mausoleum levamus daviticamque urbem cum hymnis lætitiæ intramus, superque altare sancte crucis in interiori cripta collocamus, ibique peragentes officia divini misterii mansimus usque in vigiliam translationis beatissimi patris.

1) Psalm LXXXVIII, 32 ff.
Corrector aus: restauraturum iri.
operandare. 4) Aen. I, 423 ff.

2) 'restauratum ire' verbessert der
3) Hs.: operandari, verbessert in
operandare. 5) Aen. IV, 402 ff.